

Landesbibliothek Oldenburg


Digitalisierung von Drucken

Frisia

Ortelius, Abraham

[Antwerpen], [1609?]

[urn:nbn:de:gbv:45:1-314794](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-314794)



13



Landesbibliothek Oldenburg

DAnia mediis pelagi fluctibus intercisa, paucas solidi continuique tractus partes habet, quas varia vndarum interruptio pro varia freti obliquitate discriminat. Ex his *Iutia* magnitudinis & situs ratione Danici regni principium tenet, quæ sicut positione prior, ita situ porrectior, Theutoniæ finibus admouetur. A cuius complexu fluminis Eydori interuentione discreta, cum aliquanto latitudinis excremento, Septentrionem versus in Norici freti litus excurrit. In hac sinus, qui Lymicus appellatur, ita piscibus frequens existit, vt non minus alimentorum indigenis, quam ager omnis exoluere videatur. Huic etiam *Fresia* minor adiacet, quæ à *Iutia* prominentia subsidentium camporum ac gremij deuexioris inclinata recessu, maximos frugum prouentus beneficio Oceani inundantis assequitur. Cuius reflexionis vis, plus utilitatis an periculi incolis afferat, ambiguum exstat. Siquidem tempestatis magnitudine perruptis æstuariis, quibus apud eos maritimi fluctus intercipi solent, tanta aruis vndarum moles incedere consuevit, vt interdum non solum agrorum culta, verum etiam homines cum penatibus obruat. Post Iutiam, insula ad Orientem versus *Fionia* reperitur, quam à continenti angusti admodum æquoris interiectio abruptit. Hæc sicut ab Occasu Iutiam, ita ab Ortus Sialandiam prospectat, conspicua necessariorum rerum vbertate laudanda: quæ amœnitate cunctas illius Regionis Prouincias antecedens, medium Daniæ locum obtinere putatur, ab extremæ remotionis limite pari spatiorum intercapedine disparata. Ab huius Ortui latere, Occasuum Scaniæ media pelagi disciscit interruptio, optimam prædæ magnitudinem quorannis piscantium retibus adigere soliti. Tanta siquidem sinus omnis piscium frequentia repleti consuevit, vt interdum impacta nauigia vix remigij conamen eripiat: nec iam præda artis instrumento, sed simplici manus officio capiatur. Hæc ferè Saxo Grammaticus. Vide & Albertum Crantzium. Hoc Daniæ, siue, vt alij nuncupant, Daciæ Regnum Ptolemæo est Cimbrica Chersonesus.

ALBERS 114

Karte No 115

